procedere poſſit adhibita probatione condemnatio. Si vero ſecus, quæſtio rerum amotarum evaneſcat. Dat. 3. Januar. *Sirmii*, AA. CONSS.

Si poſſeſſorium rei recuperandæ, & petitorium ſuper libertate ſimul intentetur ab eodem, petitorium prius deciditur, & ex ejus eventu ad poſſeſſionem revertitur.

7. Imp. CONSTANTINUS A. ad Baſſum P. P.

SI quando negotium ſtatus fuerit exortum, [ſi quidem] ab ejus parte, *qui dicitur ſervus*, aliquid dicatur dominus abripuiſſe [1], prius conſiderari placet, utrum de poſſeſſione [2] ſervitutis in libertatem reclamandum putet, an vero ex poſſeſſione libertatis in ſervitutem vocetur. At ſi eum de obſequiis ſervilibus libertatem conſtiterit flagitare: ante [3] decidi ſtatus convenit cauſam, atque ita præberi direptorum negotiorum (ſi res exegerit) audientiam. † Quod ſi *ei*, *qui ad ſervitutem vocatur*, quicquam direptum eſſe memoretur: univerſa, quæ conſtiterit ablata, ita demum reddi convenit ei, qui ſervus eſſe contenditur, ſi modo *ſalvam rem futuram* per idoneos fidejuſſores promiſerit. Nam ſi tales dare non potuerit: tunc ea convenit, de quibus in judicio tractabitur, ſequeſtrari [4] in eum diem [in] quo controverſia ſopiatur: ita ut ex iisdem (ſi aliqua alia facultas eſſe non poterit) tantum litis ſumptus [5], & alimoniæ homini ſubminiſtretur, quantum moderato judicis arbitrio fuerit æſtimatum. Cum autem necdum lite de ſtatu mota, res ab aliquo direptæ ſint, & ſententia de reſtituenda poſſeſſione rerum lata, ille ne [huic] ſententiæ ſatisfieret, de ſtatu controverſiam movit: neceſſitatem habebit, & ſine ſatisdatione easdem res reddere, & tunc cauſam liberalem ſecundum juris ordinem exercere.

TIT. XX.
DE COLLUSIONE [6] DETEGENDA [7].

Servus colludendo cum domina non efficietur ingenuus, nec ex reſcripto ex falſa cauſa impetrato. Salic.

1. Impp. DIOCLET. & MAXIM. AA. [& CC.] Theodoro.

CUm ſervum matris tuæ, & ſtupro violaſſe dominam ſuam, & turpis conjunctionis maculam excogitandæ ingenuitatis colluſione, ac falſæ captivitatis velamento, apud competentem Judicem [8] obtegere voluiſſe proponas, nec libertatem ei matrem tuam dediſſe, ſed in ſolam ingenuitatem eum nudæ voluntatis mendacio [9] perducere niſam adſeveres, ſervum eſſe palam eſt: quando etiam Divi Pii reſcriptum [10] ſuper captivitate emiſſum, quam non interceſſiſſe ſignificas, ingenuum feciſſe non videatur: nec aſſeveratio conſenſus tui ingenuitatis jus tribuere potuerit. PP. 14. Kal. Jul. DIOCLET. V. & MAXIMIANO IV. CONSS. 293.

Per pactum libertinus non efficitur ingenuus: & detegens colluſionem efficitur ejus patronus. Salic.

2. Iidem AA. & CC. Mileſio.

LIbertinæ conditionis conſtitutis, privatis [11] pactis immutare ſtatum ſuum non licere, Numiano [12] Senatusconſulto [13], contra colluſorem pœna ſtatuta, præmioque detegenti promiſſo, manifeſte declaratur. Dat. 5. Kalend. Decembr. CC. CONSS.

TIT. XXI.
NE [14] DE STATU [15] DEFUNCTORUM [16] POST QUINQUENNIUM [17] QUÆRATUR [18].

Si de ſtatu manumiſſoris defuncti non poteſt quæri, nec etiam de ſtatu ab eo manumiſſi. Salic.

1. Impp. SEVERUS & ANTONINUS AA. Niconi.

ADitus competens Judex cauſam præſcriptionis examinabit: & ſi Domitiæ patronum, qui [ut [19]] civis Romanus [usque] in diem mortis vixit, annos quinque antequam lis bonorum mulieris inchoaretur, vita deceſſiſſe conſtiterit: libertæ ſtatus ex perſona manumiſſoris [20] non retractabitur.

Si de matris ſtatu defunctæ non poteſt quæri poſt lapſum quinquennium, nec etiam filii. Salic.

2. Iidem AA. & CC. Maximo.

SI is, qui te heredem fecit, propter matris [21] conditionem ſervus dicitur, & mater ante quinque annos litis motæ vita deceſſit, præſcriptioni locus erit: cum quæri de ſtatu non poſſit, niſi de conditione matris tractetur. Hoc ita, ſi quamdiu vixit, ſine interpellatione ut civis Romana egit. P. D. S. ANTONINO A. II. & GETA C. II. CONSS. 206.

Quæſtio ſtatus mota in vita alicujus, durat poſt ejus mortem, ut ſciatur, quem habeat ſucceſſorem.

3. Imp. ALEX. A. Olympiadi.

QUamvis defunctus ſit maritus quondam tuus, cui ſtatus quæſtio inferebatur, cauſa tamen [etiam] poſt [22] obitum ejus propter [23] emolumentum ſucceſſionis durat, eamque apud eum, qui de hereditate, vel ſingulis rebus judicaturus eſt, decidi oportet.

Qui ut civis Romanus vixit per quinquennium, ejus ſucceſſio non poteſt in dubium revocari.

4. Idem A. Martiano.

SI is, quem ſervum tuum fuiſſe, & a fratre tuo manumiſſum, atque heredem ſcriptum [eſſe] proponis, ut [24] civis Romanus vixit, nec intra quinquennium poſt mortem ejus ſtatus quæſtionem movere cœpiſti: intelligis, neque heredibus ab eo ſcriptis, neque his, quos liberos eſſe voluit, controverſiam [te] contra formam Senatusconſulti [25] facere poſſe. Quod ſi prius [26] quam id temporis ſpatium excederet, agere cœpiſti: & peculium ejus more judiciorum perſequi, & cum manumiſſis ordinata lite, ſecundum formam Edicti experiri non prohiberis. PP. * Jun. MODESTO, & PROBO CONSS. 229.

5. Imp. GORDIANUS A. Severo.

QUod eſt conſtitutum, poſt quinquennium de ſtatu defunctorum quæſtionem incipere [27] non poſſe, ad ſpeciem emancipationis [28], jure, necne perfecta ſit, minime pertinet.

An defunctus vixerit ut ingenuus, inſpicitur tempus mortis ejus. Salic.

6. Impp. VALER. & GALLIEN. AA. Pollæ.

SI mater tua quaſi ingenua communi [29] opinione vixit, & quinquennium a die mortis ejus exceſſit, potes Rempublicam, & pupillos [30], ſi tibi ſtatus quæſtionem movere tentaverint, nota præſcriptione repellere. An autem pro ingenua in die mortis egerit, in judicio requiretur. Quod ſi varietas interveniat, poſteriora [31] tempora ſpectari convenit. PP. 6. Id. Jun. SECULARE, & DONATO CONSS. 261.

Etiam contra fiſcum currit hæc præſcriptio quinquennalis.

7. Impp. DIOCLET. & MAXIMIAN. AA. & [CC.] Heliodoro.

SI pater tuus velut ingenuus vixit, nec ſtatus controverſiam, *Quaſi fiſci ſervus eſſet*, apud Præſidem provinciæ, qui ſuper hujusmodi quæſtionibus judicare ſolet, ſed apud Procuratorem [32] Reipublicæ, non [33] competentem [34] judicem paſſus eſt, poſtque ejus mortem quinquennium effluxerit: ſtatus tuus ex præſcriptione, quæ ex Senatusconſulto emanat, protectus eſt.

8. Iidem AA. Theodoræ.

REpetitio peculii rerum ſervi tui, ſi [35] nullo juſto titulo intercedente corpora poſſideantur ab aliquo, nulla temporis præſcriptione mutilabitur: Nec enim Senatusconſultum [36], quod ſuper non retractandis defunctorum ſtatibus ſancitum eſt, intervenit, ſi defunctus in fugam [37] converſus, atque latitans deceſſit. Dat. 10. Kalend. Decembr. *Mediolani*, DIOCLET. & MAXIMIAN. AA. CONSS.

TIT. XXII.
DE LONGI [38] TEMPORIS PRÆSCRIPTIONE, QUÆ PRO LIBERTATE, ET NON ADVERSUS LIBERTATEM OPPONITUR.

Moratus in libertate mala fide, non juvatur longi temporis præſcriptione. Salic.

1. Impp. DIOCLET. & MAXIM. AA. & CC. Mutiano.

MAla [39] fide morato in libertate diu [40] prodeſſe non poteſt [longi] temporis præſcriptio. Unde cum confitearis fuga [41] te ab eo, cujus meminiſti, receſſiſſe: intelligis ex hoc ſolo ſine dolo malo in poſſeſſione te libertatis non eſſe.

2. Iidem AA. & CC. Carcino.

PRæſtat firmam defenſionem libertatis ex juſto initio longo tempore obtenta poſſeſſio: Favor [42] enim libertati debitus, & ſalubris jampridem ratio ſuaſit, ut his, qui [bona [43] fide] in poſſeſſione libertatis per viginti [44] annorum ſpatium ſine interpellatione morati eſſent, præſcriptio adverſus inquietudinem ſtatus eorum prodeſſe debeat, ut & liberi & cives Romani fiant. Dat. Kalend. Jul. *Antiochiæ*, CONSTANTIO IV. & MAXIMIANO II. [45] CONSS. 302.

1 l. 6. C. h. t. 2 Si de poſſeſſorio rei recuperandæ & petitorio ſuper libertate ſimul agitur ab eodem, petitorium prius deciditur, ejusque eventu ad poſſeſſionem revertitur: ſi a diverſis, poſſeſſionis cauſa prius deciditur. 3 Major quæſtio minori præfertur. 4 Dixi ad *l. 1. §. 1. ſupr. de adſert. tollend. l. 3. in fin. ſupr. quib. ad libertat.* 5 Vide *l. pen. ff. ut in poſſeſſ. l. 9. ff. de jur. deliber.*

6 Colluſionem Græci συμπαιγνίαν vocant. 48. *Ecl.* 12. dixi ad *L.* 40. *D.* 16. 7 Intra quinquennium. *l. 2. ff. h. t.* 8 Vide *l. 2. l. 4. ff. h. t.* 9 Perluſoria ſententia pro re judicata non habetur. *l. 27. ff. de lib. cauſ. l. 50. §. 1. ff. de leg. 1. l. 14. ff. de appellat.* 10 Cui ſimile eſt in *l. 9. ſupr. de ingenuis.* 11 Vide *l. 8. C. de ingenuis manumiſſ.* 12 *Noniano*, Hal. alii *Juniano*: alii *Viviano*, in aliis *Numano*: lege *Ninniano*: Cujac. *hic*, & ita Græci, τὰ τῶν νιννίων δόγματι ἐγγεγραφως ὁριςθέντα, ac fortaſſe Ninnius is fuit, qui in Faſtis ſub Domitiano Nonnius dictus eſt. vel L. Ninnius tribunus plebis, qui iniquis rogationibus Claudii interceſſit. *Dion.* 38. vid. Cujac. *hic.* 13 Senatusconſultum Numianum fuit Domitiani temporibus. *l. 1. ff. h. t.*

14 Dixi ad *L.* 40. *D.* 15. 15 Poſt quinnennium ex Senatusconſulto, de quo *l. 4. & ult. infr. h. t.* de ſtatu defuncti non quæritur, *ut hic*: Ita ex Senatusconſulto ultra quinquennium poſt manumiſſionem proclamare ad ingenuitatem libertus non poteſt. *l. 2. l. 4. ff. ſi ingenuus eſſe dicetur.* Eadem ratione intra quinquennium colluſio domini detegenda, *l. 2. ff. de colluſione detegenda.* 16 Qui videlicet ut liberi palam vixerint in diem usque mortis, *l. 1. l. ult. infr. h. t.* 17 Mortis ſcilicet. 18 Quonam Senatusconſulto id fuerit cautum, vid. *l. 4. l. ult. infr. h. t.* 19 *l. 4. infr. h. t.* 20 Si de ſtatu manumiſſoris quæri non poteſt, nec de ſtatu ab eo manumiſſi. 21 Si de ſtatu matris quæri non poteſt, nec de filii ſtatu quæri poterit, hoc eſt, ſi pater meus materve mea vita deceſſerunt ante quinque annos, nulla eis de ſtatu lite mota, nec mihi moveri litis quæſtio poterit, *ut hic*, *Synopſ. Baſil.* 48. *tit.* 11. *c.* 3. 22 Mota ſtatus quæſtio poſt obitum rei durat. 23 Id eſt, ut ſcire poſſit quem habiturus ſit ſucceſſorem. 24 *l. 1. ſupr. h. t.* 25 De quo *l. ult. infr. h. t.* fuit vero vetus Senatusconſultum. Suetonius in *Tito cap.* 8. vetuit inter cætera quæri de cujusquam defunctorum ſtatu ultra certos annos. 26 Si intra quinquennium a morte defuncti de ſtatu ejus fuerit quæſitum, & de peculio ejus, & de manumiſſis ab eo quæri poterit. 27 *l. 1. ff. h. t.* 29 Quæſtio ſtatus ſervilis poſt quinquennium incipere non poteſt: emancipationis poteſt: eſt enim minima ſtatus quæſtio, quoties dubitatur, filiusfamilias, vel paterfamilias quis fuerit. 29 Communis opinio probat. 30 Vide *l. ult. ſupr. qui & adverſus quos. & l. ult. infr. quibus non objicitur longi temporis præſcriptio.* 31 *l. 14. §. 2. in fin. ff. de aliment.* 32 Procuratorem rei privatæ. Cujac. 1. *obſ.* 24. *in fin.* id eſt, rationalem: id ita legiſſe Græcos idem autor teſtatur in *l. 30. infr. de decurion.* De procuratoribus Cæſaris dixi ad *Titul. ff. de officio procuratoris Cæſaris.* 33 Incompetens condemnatio pro non facta habetur. *l. 4. §. 6. ff. de re judicata. & infr. ſi a non competente.* 34 Judices quinam competentes olim fuerunt libertatis atque ſtatus? vide *ſupr. ubi cauſa ſtatus.* adde Fornerium 1. *ſelect.* 23. Rævardum 3. *variar.* 20. Goveanum 1. *variar.* 33. adde quæ dixi ad *l. 1. ſupr. & l. 5. ſupr. de ordine cognit.* 35 Quæ nullo titulo poſſidentur, non præſcribuntur. *l. 24. ſupr. de rei vind.* 36 De quo vide *l. 4. C. h. t.* 37 Fuga nocet. adde *l. 1. infr. tit. proxim.*

38 Longi temporis præſcripto quid eſt? continui decennii inter præſentes: vicennii inter abſentes. 39 Moratus in libertate mala fide, non juvatur longi temporis præſcriptione. 40 Diu moratur, qui vicennio moratur. *l. 2. C. h. t.* 41 *l. 1. C. ubi cauſa ſtatus. l. 10. in fin. ff. de liberal. cauſ. l. 15. §. 1. ff. de uſurp.* adde *l. ult. C. tit. prox.* Fugitivus malæ fidei præſumitur. vide quæ ſcripſi ad *l. 12. infr. ad leg. Fab. de plagiar.* 42 Favor libertati debetur. 43 *l. 12. ff. de liberali.* 44 Servus vicennio libertatem bona fide præſcribit; hoc eſt moratus in libertate per vicennium, bona fide, amplius inquietari non poteſt: ſecus ſi in fuga per vicennium quaſi liber vixerit: nullum enim ſervituti ejus præjudicium accidit. *Synopſ. Baſil.* 48. *tit.* 26. *ex tit.* 24. *cap.* 1. 45 Γς. *III.*

3. Exemplum ſacrarum litterarum CONSTANTINI, & LICINII AA. ad Dionyſium Vicariam Præfectutam agentem.

SOla temporis longinquitate, etiamſi ſexaginta [1] annorum curricula exceſſerit, libertatis jura minime mutilari oportere, congruit æquitati. Dat. 4. Kalend. Maji, VOLUSIANO, & ANNIANO CONSS. 314.

TIT. XXIII.
DE PECULIO EJUS [2] QUI LIBERTATEM MERUIT.

Peculium ſi non ſit ademptum, ſequitur manumiſſum inter vivos, non in ultima voluntate. Salic.

1. Impp. DIOCLET. & MAXIM. AA. Rufino.

LOnge diverſam [3] cauſam eorum, qui a ſuperſtitibus manumittuntur, item illorum, quibus teſtamento libertas relinquitur, eſſe, diſſimulare non debueras: cum ſuperiore quidem caſu conceſſum tacite peculium [4], ſi non adimatur: poſteriore vero, niſi ſpecialiter fuerit datum, penes ſucceſſores remanere, juris ſit evidentiſſimi.

TIT. XXIV.
DE SENATUSCONSULTO [5] CLAUDIANO [6] TOLLENDO.

Mulier libera ſervili amore capta, nec bona perdit, nec amoris fervore libera eſſe deſinit. Bald.

1. Imp. JUSTINIANUS A. Hermogeni Magiſtro officiorum.

CUm [7] in noſtris temporibus, in quibus multos labores pro libertate ſubjectorum ſuſtinuimus, ſatis eſſe impium credidimus, quasdam mulieres libertate ſua fraudari, & quod ab hoſtium ferocitate contra [8] naturalem libertatem inductum eſt, hoc ad libidinem nequiſſimorum hominum inferri: Claudianum Senatusconſultum, & omnem ejus obſervationem circa denunciationes [9], & Judicum ſententias conquieſcere in poſterum volumus: ne [ea] quæ *libera* conſtituta eſt, ſemel decepta, vel infelici cupidine capta, vel alio quocunque modo contra natalium ſuorum ingenuitatem deducatur in ſervitutem, & ſit peſſimum dedecus [10] cognationis ſuæ fulgori: ut quæ forſitan decoratos dignitatibus habeat cognatos, hæc in alienum cadat dominium, & dominum pertimeſcat forſitan cognatis ſuis inferiorem. † Quod & in *libertis* [obſervari] oportet: ſemel etenim libertate potitam, per tale dedecus in ſervitutem deduci, religio temporum meorum nullo patitur modo. † Sed ne *ſervi*, vel *adſcriptitii* [11], putent ſibi impunitum eſſe tale conamen (quod maxime in adſcriptitio [12] adſerendum eſt, ne liberarum mulierum nuptiis ab his excogitatis, paulatim hujusmodi hominum conditio decreſcat) ſancimus, ſi quid tale fuerit, vel a ſervo, vel ab adſcriptitio perpetratum, habere liberam poteſtatem dominum ejus ſive per ſe, ſive per Præſidem provinciæ talem ſervum, vel adſcriptitium caſtigatione competenti corrigere, & abſtrahere a muliere tali. Quod ſi neglexerit: ſciat in ſuum damnum hujusmodi deſidiam reverſuram.

TIT. XXV.
DE NUDO [13] JURE QUIRITUM [14] TOLLENDO.

Nudum nomen, quod quis in ſervis habebat, per hanc legem tollitur, & plenum dominium in ſervis conceditur. Salic.

1. Imp. JUSTINIANUS A. Juliano P. P.

ANtiquæ ſubtilitatis [15] ludibrium per hanc deciſionem [16] expellentes, nullam eſſe differentiam patimur inter dominos, apud quos, vel nudum *ex jure Quiritum* nomen, vel tantum *in bonis* reperitur: quia nec hujusmodi volumus eſſe diſtinctionem, nec *ex jure Quiritum* nomen, quod nihil ab ænigmate [17] diſcrepat, nec unquam videtur, nec in rebus apparet, ſed vacuum eſt & ſuperfluum verbum, per quod animi juvenum, qui ad primam legum veniunt audientiam, perterriti ex primis eorum cunabulis inutiles legis antiquæ diſpoſitiones accipiunt: ſed ſit pleniſſimus & legitimus quisque dominus, ſive ſervi, ſive aliarum rerum ad ſe pertinentium.

TIT. XXVI.
DE USUCAPIONE PRO EMPTORE [18], VEL TRANSACTIONE [19].

Traditio rei alienæ, licet ex venditione furtum inducit, uſucapionem impedit, & dominii vindicationem non tollit. Salic.

1. Imp. ANTONINUS A. Flaviano.

MAncipia [20] tua ſi ab eis diſtracta ſunt, qui [21] jus vendendi non habuerunt, vindicare ea potes. Nec enim uſucapi ab emptoribus potuerunt, cum illicita venditione furtum [22] contractum ſit. Prid. Id. Aug. ANTONINO A. IV. & BALBINO CONSS. 214.

Prohibitio alienationis per defunctum facta cum rationabili cauſa, impedit rei ſic prohibitæ uſucapionem. Salic.

2. Imp. ALEXAND. A. Marcellino.

SI contra defuncti voluntatem ſervos, quos propter perfectæ artis peritiam heredibus ſuis defunctus ſervari [23] teſtamento præcepit [24], tutores vendiderunt [25], uſucapi non potuerunt. Dat. 5. Non. Mart. JULIANO II. & CRISPINO CONSS. 225.

Partus ancillæ furtivæ apud bonæ fidei emptorem conceptus & editus eſt uſucapibilis. Salic.

3. Idem A. Nepotillæ.

SI matrem ejus, cujus nomine [te] quæſtionem pati dicis, bona fide emptam poſſidere cœpiſti; etiam ſi ipſa in cauſam furtivam inciderit, tamen poſtea conceptum [26] apud te partum uſucapere potuiſti.

Conſenſus domini, vel uſucapio ementis bona fide, præjudicat ei. Salic.

4. Idem A. Achilleo.

VEnditioni ancillæ [27] ſi conſenſum [28] dediſſe diverſam partem probaveris: retractando [29] contractum, quem ipſa ratum [30] habuit, non audietur: [Sed] & hac probatione ceſſante [31], ſi bona fide emptam ancillam a venditore bona fide diſtrahente [longi] temporis ſpatio uſuceperis, intentio proprietatem vindicantis tenere non poteſt.

Malæ fidei poſſeſſor partem, quam poſſidet, non præſcribit, bonæ fidei autem poſſeſſor præſcribit, niſi res eſſet vi poſſeſſa. Bald.

5. Imp. GORDIANUS A. Marino.

SI partem [32] poſſeſſionis malæ fidei poſſeſſor vendidit: id quidem, quod ab ipſo tenetur, omnino cum fructibus [33] recipi poteſt: portio autem, quæ diſtracta eſt, ita demum recte petitur a poſſidente, ſi ſciens [34] alienam comparavit, vel bona fide emptor nondum [35] implevit uſucapionem. Violenter [36] enim poſſeſſione amiſſa, priusquam [37] in domini poteſtatem perveniat, uſucapio emptori (etſi bona fide mercatus eſt) non competit.

Vitium furti non purgatum, impedit rem uſucapi etiam ab emptore bonæ fidei. Salic.

6. Idem PHILIPPUS A. cum Cœlio [38] collocutus dixit [39].

CUm ſit probatum, rem [40] pignori [41] fuiſſe obligatam, & poſtea a debitore diſtractam: palam eſt non [42] potuiſſe eam quaſi furtivam uſucapi. Sine die, & conſule.

Vitium furtivitatis officit poſſidenti, non ratione malæ fidei, ſed ratione vitii, quod non eſt purgatum. Bald.

7. Idem A. & C. Compedi.

SCiens ſervum [43] alienum contra domini voluntatem venundans, furtum committit. Quod rei vitium priusquam [44] ad dominum ejus revertatur poſſeſſio, non permittit uſucapionem fieri, licet bona fide poſſideatur. Dat. 5. Id. Febr. CC. CONSS.

8. Idem A. & C. Severo.

EX [45] cauſa transactionis [46] habentes juſtam cauſam poſſeſſionis, uſucapere poſſunt.

1 Servitute ſexagenaria libertas non amittitur. adde *l. 6. ſupr. de ingenuis. l. 21. C. de evictionibus.*

2 Adde *L.* 33. *D.* 8. 3 Cur ita? plenior interpretatio ſumitur adverſus unum manumiſſorem: quam adverſus eum, ejusque heredem ſimul. 4 Manumiſſo ſervo in teſtamento peculium non videtur conceſſum, niſi nominatim ſit relictum, *ut hic. l. penult. C. an ſervus pro ſuo facto poſt manumiſſ. teneatur & l. 1. §. 3. C. de comm. ſervo manumiſſ.* 10. *Eclog. in fin. §. 20. verſ. peculium. Inſt. de legatis. l. 3. ff. de manumiſſionibus quæ ſervis.* Manumiſſo inter vivos videtur conceſſum, niſi nominatim ſit ademptum. *l. 53. ff. de peculio*: niſi quis manumittatur a pupillo. *l. pen. ff. de manumiſſis vindicta. Synopſ. Baſil.* 10. *in fin. libri.*

5 Senatusconſulto Claudiano locus fuit, quoties mulier libera contra domini denunciationem ſe alieno ſervo jungebat. Ex hoc SC. ejus fiebat ancilla, cujus ille ſervus erat: ut eo non denunciante, liberta. *Tacit.* 12. Idem jus ſervatum a Longobardis & Francis. Quid ſi liber alienæ ancillæ jungebatur? huic SC. locus non fuit. *l. 9. C. comm. de ſucceſſionib. l. 3. C. de liberali.* Eſt & hoc adjiciendum, liberam concubinatus ratione non fieri ancillam. *l. 34. ſupr. de liberali.* 6 *L.* 3. *Inſt.* 13. §. 1. Ulp. 11. §. 11. *l. 27. ff. depoſiti. l. 9. l. ult. Cod. Theod. de liberali cauſa. l. 10. C. Th. de murilegulis.* a D. Claudio *Tacitus*: non a Veſpaſiano, ut ſcribit Suetonius *in Veſpaſiano cap.* 11. 7 Extat integra apud autorem *Syn.* 48. *titul.* 26. *ex tit.* 25. *cap.* 1. 8 Servitus contra naturam. *l. 4. §. 1. ff. de ſtatu hominum.* 9 Trina opus erat denunciatione. 10 Dedecus cognatum ſervire. facit *lex* 1. 2. 3. *ff. de liberali cauſa.* 11 Hi ἀπογραφοὶ & ἐναπόγραφοι. 12 *l. ult. infr. de agricolis & cenſit. lib.* 11. *tit.* 47.

13 Hoc, ut apertius intelligamus, notandum eſt, Triplex veteribus dominium fuiſſe, naturale, legitimum, & plenum. Naturale habet qui in bonis habet: unde Bonitarius dicebatur, dominus. Legitimum dominium habet, qui jure Quiritum dominium habet: plenum, qui & legitimum & naturale dominium ſimul habet. Theophil. *Inſt. de libertinis.* Naturale & in bonis dominium ſervi is habebat, cui civi ſervus a cive quoque emptione traditus, non tamen ei mancipatus, aut in jure ceſſus, aut ſi non anno ab eo poſſeſſus. Quandiu quid horum deerat, ſervus in bonis emptoris erat: venditoris vero, ex jure Quiritium, hoc eſt uno eodemque tempore duorum erat dominorum. Ulp. 1. §. 16. Unius tamen horum dominii effectus altero potior erat. Nam ſervus quidquid adquirebat, ſuo domino bonitario adquirebat: id eſt, ei in cujus bonis erat, non ei qui jus dominii habebat ex jure Quiritum, unde cum nomen inane juris Quiritum eſſet, merito ſublatum hac conſtitutione. Porro jure Quiritum adquirebatur dominium hereditatis aditione, mancipio, acceptione, juſta uſucapione, ſub corona emptione. Varro 2. *de re ruſtica* 10. ſine his cauſis res non abalienabatur jure Quiritum. Cicero *in Topicis.* Ulpian. 19. Idque dominium ſibi aſſumebat is qui vindicabat, hac formula: *Hunc ego hominem ex jure Quiritum meum eſſe ajo.* Cicero 4. *Verrina.* 14 Ulpian. 1. §. 16. & 19. §. 20. adde Theoph. *tit. de libertinis.* 15 Subtilitatis antiquæ ludibrium. Subtiles interdum fuerunt antiqui, ſed inaniter & inepte plerumque. 16 Hæc lex junct. *l. unic. Cod. de dedit. libert. toll.* facit 43. deciſionem ex quinquaginta novis Juſtiniani. vid. Inglois. *Anſ.* 17 Ænigma, & ab ænigmate non differunt.

18 Dixi ad *L.* 41. *D.* 4. 19 *l. 8. C. h. t.* 20 *l. 4. l. 6. l. 7. C. h. t.* 21 Qui aliena mancipia diſtrahit, furtum contrahit: ideoque longa poſſeſſione non capiuntur. *Synopſ. Baſil.* 50. *tit.* 4. *c.* 15. 22 Res furtiva uſucapi non poteſt. adde *l. 2. C. de uſucap. pro donato*: præſcribi tamen poteſt tricennio. *l. 1. §. 1. C. de annali except. l. cum quærebatur.* 11. *C. unde vi.* 23 Juſta prohibitio alienationis facta per defunctum impedit uſucapionem. 24 Teſtator certarum rerum alienationem vetare poteſt. 25 Quod ſervari debet, vendi non poteſt. 26 Conceptum apud ſe partum bonæ fidei poſſeſſor uſucapit. *l. 33. ff. de uſucap.* 27 *l. 1. ſupr. h. t. l. 6. l. 7. infr. h. t.* 28 Qui domini conſenſu poſſidet, non indiget uſucapione. 29 Contractus invito adverſario non retractatur, *l. 5. ſupr. de oblig.* 30 *l. 7. in fin. ſupr. quod cum eo.* 31 Citra domini conſenſum, longi temporis ſpatio bonæ fidei poſſeſſor præſcribit. *l. 1. C. tit. prox. l. 3. C. de longi temporis.* 32 Quod (vi tamen non poſſeſſum) bona fide a malæ fidei poſſeſſore poſſidemus, uſucapimus. *l. 4. C. de rei vind.* quod ipſe poſſidet, non uſucapit. 33 Poſſeſſor malæ fidei fructus reſtituit. 34 Sciens alienum non uſucapit. *l. 7. C. h. t.* 35 Nondum impleta uſucapione, bonæ fidei etiam poſſeſſori res auferri poteſt. 36 Rerum vi poſſeſſarum uſucapio non eſt. 37 *l. 4. C. de rei vind. §. 8. Inſt. de uſucap.* ubi de vi compulſiva agitur, non de expulſiva, *ut hic*, id neceſſe non eſt. *l. 3. C. de his quæ vi met.* 38 *Cum concilio*: alii *cum conſilio*, ut in Act. Apoſt. 25. v. 12. συλλαλήσας μετὰ τοῦ συμβουλίου ἀπεκρίθη. quæ verba, *cum Concilio collocutus*, moris erat ita exprimi CCC. ut ex antiqua ſententia Senetionis conſtat. Senetio CCC. dixit. vid. Cuj. 18. *obſ.* 32. 39 Princeps ſententiam dicit. *l. 1. C. de appellat. l. pen. ff. de his, quæ in teſtament. delentur. l. 3. infr. de quæſtionibus.* 40 Uſucapi, quaſi furtiva, res non poteſt, quæ obligata alteri, comparata eſt: hoc eſt, re pignori obligata diſtracta, quaſi furtiva uſucapi ea res non poteſt. *Synopſ. ib. c.* 20. 41 In uſucapione rei immobilis ſufficit bona fides emptoris, niſi res a venditore, vel ejus autore vi ſit poſſeſſa, ut *l. 5. C. h. t.* in mobili & emptoris & venditoris requiritur, *ut hic. l. 3. l. 4. C. & l. 7. C. h. t.* 42 Imo poteſt. *l. 5. ff. h. t. l. 4. §. 21. ff. de uſurpat.* 43 Dixi ad *l. 6. ſupr. h. t.* 44 *l. 5. in fin. ſupr. h. t.* 45 Uſucapere poteſt, qui ex cauſa transactionis bona fide rem alienam accipit, cum juſtam cauſam uſucapiendi habeat. *Synopſ. ibi. c.* 21. 46 *l. 29. ff. de uſurpat.*

Emens a pupillo sine tutore, non usucapit rem. Salic.

9. Idem A. & C. Cajo.

EUm [1], qui a [2] pupillo sine tutoris auctoritate distrahente comparavit, nullum temporis [longi] spatium defendit. Sed si locupletior [3] emptoris pecunia factus, post pubertatem occasionem juris ad iniquum trahat compendium, doli mali submovetur exceptione. CC. CONSS.

TIT. XXVII.
DE USUCAPIONE PRO DONATO [4].

Traditione & usucapione pro donato dominium quæritur. Bald.

1. Imp. ALEXAND. A. Macedonio.

SIve fuerit dominus [5], qui tibi loca, de quibus supplicasti, donavit: sive a [6] non domino bona fide donata suscepisti, eaque usucepisti, auferri [7] tibi quod jure quæsitum est, non potest. P. 5. Id. Mart.

Res affecta vitio furti, non usucapitur titulo pro donato. Salic.

2. Impp. DIOCLET. & MAXIM. AA. Capitonio.

DOnantem ancillam alienam [8] nihil domino deminuere, non est ambigui juris: furtum etiam contrahere citra [9] voluntatem domini contrectantem, ut ejus rei nec usucapio possit procedere. S. 5. Id. April. AA. CONSS.

Ex donatione putativa sive erronea non procedit usucapio. Salic.

3. Iidem AA. & CC. Rhodano.

IRritam [10] facere donationem perfectam nemini licet. Utique hoc verum est, si error [11] falsæ causæ ratione bonæ fidei non defenditur. Quod & in dominio pro usucapione quærendo servatur.

TIT. XXVIII.
DE USUCAPIONE PRO DOTE [12].

Res mobilis in dotem data, si vitium usucapionem non impedit, usurpabitur. Bald.

1. Imp. ALEXAND. A. Taurino.

REs mobiles [13] in dotem datæ, quamvis alienæ, si sine vitio tamen fuerint à bonæ fidei accipiente [14] pro dote acceptæ, usucapiuntur [15].

TIT. XXIX.
DE USUCAPIONE PRO HEREDE [16].

Sicut suus heres non usucapit titulo pro herede: ita nec heres heredis etiam extraneus ex persona defuncti. Bald.

1. Imp. ANTONINUS A. Theophilo.

CUm pro herede usucapio locum non habeat: intelligis, neque matrem tuam, cui heres [17] extitisti, neque te usu mancipia ex ea causa capere posse. PP. 7. Kal. Jul. *Romæ*, LÆTO & CEREALE CONSS. 216.

2. Impp. DIOCLET. & MAXIM. AA. & CC. Maurinæ.

NIhil pro herede posse usucapi, suis heredibus existentibus [18] magis obtinuit.

3. Iidem AA. & CC. Diodoro.

OPinione falsa [19] mortis pro herede possessio rerum absentis procedere non potest.

Usucapio requirit titulum præcedentem. Bald.

4. Iidem AA. & CC. Serapioni.

USucapio non præcedente vero [20] titulo procedere non potest: nec prodesse neque tenenti, neque heredi ejus potest: nec obtentu velut ex hereditate esset, quod alienum fuit, domini intentio ullo temporis longi spatio absumitur. Dat. 7. Kal. Januar. CC. CONSS.

TIT. XXX.
COMMUNIA [21] DE USUCAPIONIBUS.

Colonus corporaliter tenet, sed non possidet sibi, sed domino: & ideo non præscribit. Bald.

1. Imp. ALEXAND. A. Sabino.

QUi ex conducto [22] possidet, quamvis corporaliter [23] teneat, non tamen sibi, sed domino rei creditur possidere, neque enim colono [24], vel conductori prædiorum longæ possessionis præscriptio acquiritur. PP. 7. Kal. April. ALEXANDRO A. II. & MARCELLO CONSS. 227.

2. Idem A. Onesimæ.

JAmpridem quidem mancipium, de quo supplicas, comparasse te dicis: sed si cogitaveris rem fisci [25] mei usucapi non posse, respondere te actionibus fisci mei intelligis: nec alias posse [rei] proprietatem obtinere, quam si non ex ancilla fiscali natum fuisse constiterit.

Mala fides auctoris nocet successori singulari, volenti uti actione singulari. Bald.

3. Imp. PHILIPPUS A. & C. Pantino.

SI [26] mala fide servum tuum sciens Antiochus tenuit, intentionem tuam contra successorem [27] ejus, licet bona fide possidet, propter initii vitium usucapio non absumpsit.

TIT. XXXI.
DE USUCAPIONE TRANSFORMANDA, ET DE SUBLATA DIFFERENTIA RERUM MANCIPI [28] ET NEC MANCIPI.

Hodie res provinciales & Italicæ quantum ad usucapionem sunt exæquatæ, & immobiles præscribuntur ubique spatio triennii continui, intervenientibus a principio bona fide & titulo. Salic.

1. Imp. JUSTINIANUS A. Joanni P. P.

CUm nostri animi vigilantia *ex jure Quiritum* nomen & substantiam sustulerit [29], & communes exceptiones in omni loco valeant [30]: decem vel viginti, vel triginta annorum, vel si quæ sunt aliæ majoris ævi, continentes prolixitatem: satis inutile est usucapionem in Italicis quidem soli rebus admittere, in provincialibus autem recludere. Sed & si quis res alienas, Italicas tamen, bona fide possidebat per biennium [31], miseri rerum domini excludebantur: & nullus eis ad eas reservabatur regressus: quæ & nescientibus dominis procedebant, quo nihil inhumanius erat, si homo absens & nesciens tam angusto tempore suis cadebat possessionibus. Ideo per præsentem legem, & in Italicis soli rebus, quæ immobiles sunt, vel esse intelliguntur, sicut annalem [32] exceptionem, ita & usucapionem transformandam esse censemus: ut tantummodo & his decem [33], vel viginti, vel triginta annorum, & aliarum exceptionum tempora currant, hujusmodi angustiis penitus semotis. † Cum autem antiqui & in rebus mobilibus, vel se moventibus, quæ fuerant alienatæ, vel quocunque modo (bona fide tamen) detentæ, usucapionem extendebant non tantum in Italico solo nexu, sed in omni orbe terrarum, & hanc annali [34] tempore concludebant: & eam duximus esse corrigendam: ut [35] si quis alienam rem mobilem, seu se moventem in quacunque terra, sive in Italica, sive provinciali bona fide per continuum triennium [36] detinuerit, is firmo jure eam possideat, quasi per usucapionem eam acquisitam. † [Hoc] tantummodo observando, ut in his omnibus casibus ab initio [37] eam bona fide capiat, secundum [38] quod exigit longi temporis præscriptio: & ut continuetur [39] ei possessio etiam anterioris justi possessoris, & connumeretur in decennium, vel viginti annorum spatium; vel tricennium. Quod & in rebus mobilibus observandum esse censemus, ut in omnibus justo titulo [40] possessionis antecessoris justa detentio, quam in re habuit, non interrumpatur ex posteriore forsitan alienæ rei scientia, licet ex titulo lucrativo ea cœpta est. Ita etenim ampliatur quidem longi temporis materia, quæ ei subdita est, minuitur autem usucapionum compendiosa dominis jactura, & ejus jura nocentia: cum [etiam] res dividi mancipi & nec mancipi sane antiquum est: & merito antiquari oportet, ut sit rebus & locis omnibus similis ordo, inutilibus ambiguitatibus & differentiis sublatis. Dat. Kal. Novemb. *Constantinop.* post consulat. LAMPADII & ORESTIS VV. CC. 531.

TIT. XXXII.
DE ACQUIRENDA [41] ET RETINENDA POSSESSIONE.

De acquisitione per liberam personam.

1. Impp. SEVERUS & ANTON. AA. & CC. Attico.

PEr liberam [42] personam ignoranti [43] quoque acquiri possessionem;

1 Usucapere longi temporis spatio non potest rem pupilli, qui eam a pupillo sine tutoris ejus auctoritate comparavit: si tamen probaverit pupillum ex pecunia emptionis ei numerata locupletiorem factum esse, post pubertatem ab ipso conventus doli mali exceptione eum submovet. *Synops. ibi cap.* 23. 2 *l.* 27. *ff. de contrahenda emptione.* 3 *l.* 10. *ff. de institoria.*

4 Dixi ad *L.* 41. *D.* 6. 5 Res a non domino bona fide nobis donatas usucapimus, *ut hic*, & 50. *Ecl.* 60. *c.* 7. 6 Usucapione quæsita semel res aliena donatione a non domino tradita, bona fide accepta, auferri usucapienti non potest, *ut hic*, *Synops. Basil.* 50. *tit.* 6. *cap.* 7. 7 Usucapio prodest adversus rei vindicationem. *l.* 4. *in fin. supr. tit. prox.* 8 Donare aliena non possumus. *l.* 6. *supr. de furtis.* 9 Furtum est contrectatio rei alienæ invito domino. 10 Perfecta donatio irrita fieri non potest invito donatario. *Ecl. d. l. c.* 9. *l.* 4. *in fin. infr. de revocand. donationib.* 11 Falsus titulus ad usucapionem non proficit. Falsus titulus est, quoties quis sibi donatum putat. §. 11. *Inst. de usucap. l.* 1. *ff. pro donato.* Itaque usucapere pro donato is non potest, qui putat sibi donatum esse, cum donatum non sit. *Synops. Basil.* 50. *tit.* 6. *c.* 9.

12 Dixi *ad L.* 41. *D.* 9. 13 Quæcunque etiam mancipia. vid. Cujac. 14. *obs.* 9. In rebus soli aliud. Nam in immobilibus non facile vitium procedit, quod in eis furtum non fiat. 50. *Eclog.* 8. *cap.* 4. Fundus dotalis usucapi non potest. *l.* 16. *ff. de fundo dotali.* 14 Puta marito. 15 Res mobilis aliena in dotem data, ab accipiente potest usucapi. vid. *l.* 1. *ff. h. t.* vid. Cujac. *d. loco.*

16 Dixi *ad L.* 41. *D.* 5. Si defunctus rem aliquam sine vitio possidet, heres usucapere potest. 17 Quod defunctus usucapere non potuit, heres etiam si bonam fidem habeat, usucapere non potest. Nam vitia defuncti in heredem transeunt. *l.* 11. *ff. de divers. temporal.* 50. *Ecl.* 5. *c.* 5. 18 Non extantibus tamen, id est, abstinentibus: quia sui heredes manent, etiamsi abstinuerint: suis existentibus agnati venire non possunt. Sed quia jure Prætorio venire possunt & pro possessore usucapiunt. Goth. Vid. Vigl. *de hered. qualit. & diff.* §. *sed ut nepotes.* Ans. 19 Usucapiendi titulum verum esse oportet, *ut hic*, & *l.* 4. *infr. h. t. l.* 1. *ff. h. t. l.* 3. *supr. pro donato. l.* 4. J. *de præscr. longi temp.* §. 11. *Inst. de usuc.* 20 *l.* 3. J. *h. t.*

21 Dixi *ad L.* 41. *D.* 3. 22 Quod alteri possidemus, non usucapimus. Conductor alteri possidet, *ut hic.* colonus. *infr. h. t.* & *l.* 1. *infr. in quib. caus. cessat.* qui præstat mercedem. *l.* 2. *infr. de præsc.* 30. *vel* 40. *ann.* emphyteuta. *l.* 7. *in fin. d. tit.* creditor pignus. *l.* 13. *ff. de usurpat.* adde *l.* 36. *ff. de adq. vel amitt. possess.* 23 Conductor corporaliter rem tenet: jure tamen civili non possidet: ideoque nec rem usucapit. 24 *l.* 1. *infr. in quib. caus. cessat.* 25 Res fisci usucapi non potest. *l.* 4. *infr. de præsc.* 30. *l.* 1. 2. 3. *in fin. infr. ne rei dominicæ vel templor.* §. 9. *Inst. de usuc. l.* 18. *l.* 24. *in fin. l.* 45. *ff. de usurpat. Syn. Basil.* 50. *tit.* 10. *c.* 2. 26 Præscribere longi temporis spatio rem non potest heres ejus qui mala fide possedit, licet ipse bonam fidem habeat: Vitia enim defuncti ad heredem transeunt. 2. Harm. 1. §. 44. 27 Vitium defuncti transit in heredem etiam bonæ fidei. *l.* 4. §. 15. *ff. de usurp.*

28 De rebus mancipi, & non mancipi, vid. Ulp. 19. 29 Vid. *l. unic. supr. de nudo jure Quiritum tollendo.* 30 Cujacius videndus *lib.* 10. *observ. c.* 36. Pardorius *quæst. quotidian. c.* 1. §. 10. Brissonius *lib.* 4. *select. Antiq. c.* 7. Geraldus Longol. *de servitut. usucap. c.* 16. Rævardus *ad leges* 12. *tabul. c.* 16. & *in lib. singulari de lege Scribonia*, & *de usucapionum differentiis.* Mod. 31 Res Italicæ olim biennio usucapiebantur. 32 Jure veteri, id est, 12. Tab. res mobilis anno usucapiebatur, *ut hic*: & *vers. cum ante. infr. h. t.* qua de re dixi *ad leges* 12. *Tab. l.* 2. *tit.* 23. §. 1. 33 Hodie res omnes, sive sint Italicæ, sive provinciales, immobiles præscribuntur decennio inter præsentes: vicennio, inter absentes. 34 De annali usucapione dixi *supr.* 35 Usucapimus res omnes mobiles, aut se moventes bona fide per triennium: immobiles, ubicunque eæ sitæ sint, decem annis adversus præsentes: viginti annis adversus absentes, *ut hic.* 2. Harm. 1. §. 25. 36 Res mobiles triennio usucapiuntur, *pr. Inst. de usuc.* cum titulo & bona fide: Immobiles vero annis decem inter præsentes: viginti inter absentes cum titulo & bona fide. adde *l.* 2. *infr. de præsc. long. temporis.* sine titulo vero annis triginta: & eo modo adquiritur dominium utile. *l.* 8. §. 1. *in fin. infr. de præsc.* 30. *vel* 40. *ann.* apud autorem Synopseos 50. *tit.* 10. *c.* 3. *in fin.* legitur διὰ τετραετίας, per quadriennium. 37 In usucapione satis est, si possessionis initio bona fides intervenerit. *l.* 48. *ff. de adq. rer. dominio. l.* 44. §. 2. *ff. de usurpat.* quod tamen Lateranense concilium non admittit. *c.* 41. 38 Bona fides requiritur in usucapionum & præscriptionum initio. Et de bona & mala fide vid. Baldum 3. *de præscr.* & *ad eam rem* 19. *quæst.* 39 Continuatur possessio in successorem. §. 12. *Inst. de usucap.* addè *l.* 14. *ff. de usurpat.* hoc est, in diuturna possessione connumeratur etiam tempus anterioris possessoris. 2. Harmen. 1. §. 72. *Synops. Basil.* 50. *tit.* 11. *c.* 10. 40 Titulus in usucapione requiritur. vid. Bald. 3 *de præscript. quæst.* 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 41 Dixi *ad L.* 41. *D.* 2. 42 Paul. 5. *sent.* 2. §. 2. 43 *l.* 34. §. 1. *l.* 49. *in fin. ff. h. t. l.* 13. *ff. de adq. rer.* §. 5. *vers.* & *hoc est. Inst. per quas personas cuique acq.*

&

& postquam scientia [1] intervenerit, usucapionis conditionem inchoari posse, tam ratione utilitatis, quam juris prudentia receptum est. PP. 6. Kal. Dec. FUSCO & DEXTRO CONSS. 226.

Si emptor sciente venditore in possessione fuerit.

2. Imp. ALEXANDER A. Mauro.

MInus instructus est, qui te sollicitum reddidit, quasi in vacuam [2] possessionem ejus, quod per procuratorem emisti, non sis inductus: cum ipse proponas te diu [3] in possessione [ejus] fuisse, omniaque, ut dominum gessisse. Licet [4] enim instrumento non sit comprehensum, *quod tibi tradita sit possessio*: ipsa tamen rei [5] veritate id consecutus es, si sciente [6] venditore in possessione fuisti.

De Infante.

3. Imp. DECIUS A. Rufino.

DOnatarum rerum [7] a quacunque persona infanti [8] vacua [9] possessio tradita corpore [10] quæritur. Quamvis enim sint auctorum sententiæ dissentientes: tamen consultius videtur interim, licet animi plenus non fuisset adfectus [11], possessionem per traditionem esse quæsitam: alioquin (sicuti consultissimi viri Papiniani responso continetur) nec quidem per tutorem possessio infanti poterit acquiri. PP. 5. Kal. Apr. DECIO A. V. & GRATO CONSS. 251.

De animo solo.

4. Impp. DIOCLETIANUS & MAXIMIANUS AA. Nepotiano.

LIcet possessio nudo [12] animo acquiri non possit, tamen solo animo retineri potest. Si ergo prædiorum desertam possessionem non derelinquendi affectione transacto tempore non coluisti [13], sed metus [14] necessitate culturam eorum distulisti: præjudicium tibi ex transmissi temporis injuria generari non potest. PP. Kal. August. ipsis IV. & III. AA. CONSS. 290.

De causa possessionis sibi non mutanda.

5. Iidem AA. & CC. Mennoni.

CUm nemo causam [15] sibi possessionis mutare possit, proponasque colonum nulla extrinsecus accedente causa ex colendi occasione ad iniquæ venditionis [16] vitium esse prolapsum: Præses provinciæ inquisita fide veri dominii tui jus convelli non sinet.

De eo, qui sine causa ingressus est in fundum alienum.

6. Iidem AA. & CC. Valerio.

SI nulla justa ex causa [17] ingressum [18] agrum [tuum] sive vineas, eum cujus meministi, Præses repererit, nec ulla præscriptione tua interpellatur petitio: restituere tibi possessionem cum omni causa [19] non dubitabit. S. Idib. April. AA. CONSS.

De improba possessione.

7. Iidem AA. & CC. Asyncrito.

IMproba possessio firmum titulum [20] possidenti præstare nullum potest. Unde ingredientem in [21] vacuam possessionem alieni fundi non consentiente domino, vel actore, qui ejus rei concedendæ potestatem habuit, causam justam possessionis adipisci non potuisse certum est. PP. 5. Idus Dec. AA. CONSS.

De procuratore.

8. Iidem AA. & CC. Cyrillo.

PEr procuratorem utilitatis [22] causa possessionem [23], etsi proprietas ab hac separari non [24] possit, dominium etiam quæri placuit. PP. 18. Kal. Mart. *Sirmii*, CC. CONSS.

De improba possessione.

9. Iidem AA. & CC. Sergio.

NEc ex vera venditione possessionem, quam non fuerat emptor [25] adeptus, improbe retinere potest: ac multo minus is, qui adseveratione falsa velut [26] emptor, cum sine obligatione pignoris pecuniam mutuo dedisset, fundum irrumpens alienum, retinendi justam causam habet. PP. 3. Non. April. *Sirmii*, CC. CONSS.

De divisione & interruptione usucapionis.

10. Imp. CONSTANTINUS A. ad Maternum.

NEmo ambigit, possessionis duplicem [27] esse rationem: aliam [28], quæ jure [29] consistit; aliam, quæ corpore [30]: utramque autem ita demum esse legitimam [31], cum omnium adversariorum silentio, & taciturnitate firmatur: interpellatione [32] vero & controversia progressa, non [33] posse eum intelligi possessorem, qui licet [possessionem] corpore teneat, tamen ex interposita [34] contestatione, & causa in judicium deducta super jure possessionis vacillet ac dubitet. PP. 11. Kal. Feb. *Tribon.* VOLUSIANO & ANNIANO CONSS. 314.

De successoribus.

11. Impp. ARCADIUS & HONOR. AA. Petronio Vicario Hispaniarum.

VItia [35] possessionum a majoribus contracta perdurant: & successorem [36] auctoris sui culpa comitatur. Dat. 5. Kal. Jan. CÆSARIO & ATTICO CONSS. 397.

Si is, per quem possidebatur, possessionem reliquerit.

12. Imp. JUSTINIAN. A. Joanni P. P.

EX libris Sabinianis [37] quæstionem in divinas nostri numinis aures relatam tollentes, definimus, ut sive servus [38], sive procurator, vel colonus, vel inquilinus, vel quispiam alius, per quem licentia est nobis possidere, corporaliter nactam possessionem cujuscunque rei dereliquerit [39], vel alii prodiderit, desidia forte vel dolo, ut locus aperiatur alii eandem possessionem detinere: nihil penitus domino præjudicii generetur: ne ex aliena [40] malignitate alienum damnum emergat: sed & ipse, si liberæ conditionis est, competentibus actionibus subjugetur: omni jactura ab eo restituenda domino rei, vel ei, circa quem negligenter [41] vel dolose versatus est. Sin autem necdum sub [42] manibus procuratoris, vel coloni, vel inquilini, vel servi possessio facta est [43], sed ipse eam accipere desidia vel dolo supersedit, tunc & ipse qui eum transmisit, ex mala [44] sua electione præjudicium circa eam possessionem patiatur, ex memoratarum personarum vel machinatione, vel negligentia accedens. Hoc etenim tantum sancimus, ut dominus nullo modo aliquod discrimen sustineat ab his quos transmiserit: non ut etiam lucrum sibi per eos aliquod acquirat: cum & antiqua [45] regula [juris] quæ definivit *deteriorem conditionem per servum domino nullo modo fieri*, tunc locum habeat, cum dominus de damno [46] periclitetur, non cum sibi lucrum per servum acquiri desiderat. † Salva videlicet in hoc casu domino rei, vel ei [47], qui ad eam detinendam præfatas transmiserit personas, adversus eas omni actione, (si qua ex legibus ei competit) servata.

TIT. XXXIII.
DE PRÆSCRIPTIONE LONGI [48] TEMPORIS DECEM [49], VEL VIGINTI [50] ANNORUM.

Civilis interruptio præscriptionis non operatur, nisi contra eum contra quem interruptio facta est, & in hypothecaria non contrahitur vitium litigiosi. Bald.

1. Impp. SEVERUS & ANTONINUS AA. Juliano P. P.

CUm [51] post motam & omissam quæstionem res ad nova dominia bona fide transierint, & exinde novi viginti anni intercesserint sine [52] interpellatione, non est inquietanda, quæ nunc possidet, persona: quæ sicut accessione prioris domini non utitur, qui est inquietatus: ita nec impedienda est, quod ei mota controversia sit. Quod si prior possessor inquietatus est: etsi postea per longum tempus sine aliqua interpellatione in possessione remansit, tamen non potest uti longi temporis præscriptione, quod etiam in Republica [53] servari oportet.

In AUTHENT. ut spons. larg. §. rursus. col. 9. tit. 2. Novell. 119. cap. 7.

M*Alæ* [54] *fidei possessore alienante* [55], *cessat longi* [56] *temporis præscriptio* [57], *si verus dominus ignoret* [58] *suum jus, & alienationem factam: spectatur ergo triginta annorum defensio. Si vero is,*

1 Liber ignoranti possessionem: scienti usucapionem adquirit. 2 De vacua possessione agitur in *l.* 3. & 7. J. *h. t.* vid. *l.* 2. *in fin. ff. de act. empt.* Goth. Vid. hic Zanger. *de Except. part.* 3. *c.* 10. *n.* 121. Ans. 3 Paria sunt in vacuam possessionem induci, & sciente venditore diu in possessione fuisse. *l.* 12. J. *de contrah. empt. l.* 2. J. *si quis alteri.* 4 Hinc colligit Alciat. 2. *præsumpt.* 23. quemque præsumi possidere ex titulo præambulo, id est, ex antecedente aliquo titulo. dixi ad *l.* 12. J. *de fide instrument.* 5 Revera possidet, qui sciente venditore possidet. 6 *l.* 60. *ff. de reg. jur.* aliud nesciente. *l.* 5. *ff. h. t. l.* 14. §. 1. *ff. de furtis.* 7 Hanc *l.* cum *l.* 1. *ff. h. t.* conciliat Charon *l. verisim. l.* 2. *c.* 6. Ans. 8 *l.* 32. §. 2. *ff. h. t.* 50. *Ecl.* 2. *c.* 1. 9 *l.* 2. J. *l.* 7. J. *h. t.* 10 Suo, scilicet. 11 *Affectus*, Hal. 12 Nudo animo possessio retinetur, non adquiritur. vid. *l.* 44. *in fin. ff. eodem.* 13 Culturam omittens, possessionem non amittit. 14 Vid. *quæ not. ad l.* 1. §. 8. *ff. h. t.* 15 Id est, titulum possidendi. vid. *l.* 1. §. 19. *ff. h. t.* 16 Colono facta venditio domino non nocet. 17 Sine vi, *l. ult.* J. *unde vi.* 18 Ingressio vacuæ possessionis vitium personale, non reale contrahitur: ideoque poterit res usucapi. 19 Id est, cum fructibus. Causa est quidquid a re proficiscitur, vel rei cohæret. *l.* 3. §. 1. *l.* 8. *ff. de usuris & fructibus & causis.* 20 Injusta possessio non est titulus. Sine titulo non est locus præscriptioni. *l.* 24. J. *de rei vind.* §. 2. *Instit. de usucap.* 21 *l.* 2. *l.* 3. J. *h. t.* 22 Cui multum tribui solet. 23 Per procuratorem possessio & dominium adquiri potest. *l.* 1. J. *per quas personas. l.* 1. J. *h. t. l.* 20. §. 2. *ff. de adq. rer. dominio.* 24 Imo potest. *l.* 12. §. 1. *ff. h. t.* 25 Verus scilicet. *l.* 5. *ff. h. t.* de falso mox dicetur. 26 Falsus emptor melioris conditionis esse non debet quam verus. 27 Naturalem, scil. vel civilem: nulla est tertia. vid. Cuj. 9. *observ.* 33. Goth. Adde Zanger. *de Except. part.* 3. *c.* 10. *n.* 68. Ans. 28 Jus & corpus opponuntur. 29 Possessio jure consistens, est civilis possessio. 30 Possessio corpore consistens, est naturalis possessio. 31 Legitima dicitur, quæ defenditur legibus & interdictis possessoriis. 32 Interruptio vitiat justam usucapiendi causam, adeo ut si ad diem res possessa non fuerit, videatur possessio ad verum dominum recurrere, atque ipsa interruptione dominium renovare. 2. Harm. 1. §. 67. 33 Possessor non intelligitur, qui licet possessionem corpore teneat, interposita contestatione & causa in judicium deducta, super jure possessionis vacillat ac dubitat. 34 *l.* 26. J. *de rei vindicat. l.* 2. *circa fin. l.* 10. J. *de præsc. longi temp.* 35 Realia scil. *l.* 24. §. 1. *ff. de usurpat. l.* 5. *in fin. C. Theod. unde vi.* estque pars postrema legis 2. J. *si per vim.* 36 Omnem scil. 37 Locus est huic legi, quando res tradita est alii & ab eodem occupatur. Joan. Decher. *l.* 1. *dissert.* 3. *n.* 25. Ad emphyteutam Vasallum, vel conductorem ad longum tempus trahi non potest. Valasc. *de jure Emphyt. quæst* 18. *num* 17. neque locum habet in colono tradente, ac deferente possessionem. Joann. a Sano. *decis. Frisic. lib.* 5. *tit.* 4. *defin.* 7. Ans. 38 Per servum, procuratorem, colonum, & inquilinum possidemus. 39 Qui alteri non sibi possidet, si possessionem deserit, vel alteri tradit, domino non præjudicat. *l.* 31. & 40. §. 1. *ff. h. t. l.* 31. *ff. de dolo. l.* 6. *in fin.* J. *unde vi. l.* 1. J. *si per vim. l. ult.* §. 5. J. *de delatoribus. lib.* 10. *tit.* 11. *l.* 133. *ff. de reg. jur.* 40 Malitia soli autori nocere debet. 41 In quærenda possessione potest quisque negligentia sua obesse ei cui quærere debuit: & tamen in id quod interest et tenetur. 42 Possessor naturalem & civilem possessionem amittit, si ille per quem possidet, possessione expellitur: æque ac si possessionem ipsam traderet. Accurs. Bartol. Angel. *hic*, *Gloss. in cap. olim causam.* 12. *extr. de restit. spoliat.* quod tamen in Ecclesia, *per doctores in d. cap. olim*, fisco & pupillo fallit. *c.* 1. *extr. de in integr.* adde aliam exceptionem ex Socino *reg.* 297. 43 Possessio facta sub manibus procuratoris. 44 Mala electio eligenti nocet. 45 *l.* 133. *ff. de reg. jur.* 46 *l.* 27. §. 1. *ff. ad SC. Velleian.* 47 Id est, custodi possessionis. *l.* 1. J. *si per vim. l.* 6. J. *unde vi.* adde *l. ult.* J. *de delatoribus. lib.* 10. *tit.* 11.

48 50. *Eclog.* 11. Præscribimus hoc spatio res immobiles cum titulo, & bona fide. 49 Adversus præsentes. v. *l.* 12. J. *h. t. Nov.* 119. *c.* 7. & 50. *Ecl.* 14. 15. & 2. *Inst.* 6. *in prin.* 50 Adversus absentes. v. *l.* 12. J. *h. t.* 51 Eadem extat sententia apud Paul. 5. *sent.* 2. §. 5. 52 Hanc restrictionem adde *l. unic.* J. *de usuc. transformanda.* 53 Adversus rempublicam etiam viginti annorum præscriptio prodest ei qui justum initium possidendi habuit: nec medio tempore interpellatus est. Paul. *d. l.* §. 4. 54 Præscribere longo tempore non potest, titulum habens a malæ fidei possessore, *ut hic*: nisi alienatio ab initio bonæ fidei fuerit. Angelus *in l. sequitur.* 4. *ff. de usurpat. Gloss. in d. l. item si res.* 4. *ff. de alien. jud.* nisi debitor alienet rem alteri pignoratam: tunc enim emptor bonæ fidei præscribit adversus hypothecariam: hæc quippe Auth. de præscriptione dominii, non hypothecæ constituta est. Aret. & Cynus *hic.* fallit etiam quoties habens titulum a malæ fidei possessore dominium non præscribit. fallit etiam quoties præscribitur res in qua non requiritur titulus, puta servitus, *l. si quis diuturno*, 10. *ff. si servitus vindicetur.* sed & si procurator mala fide vendidit, & dominus rei bonam fidem habebit. *l. qui fundum.* 7. §. *procurator.* 6. *ff. pro empt.* Idem esse putat Bartol. in *l. Pomponius.* 13. §. 1. *ff. de adq. vel amitt. possess.* Angel. *in l. sequitur.* 4. *ff. de usurpat.* Bald. *in l. ancillæ.* 12. J. *de furtis*: in usucapione rei mobilis: cum possit res mobilis mala fide, sine furto distrahi. *l. alienum.* 6. *ubi Gloss.* J. *de furtis.* vide alias exceptiones apud Bart. Angel. & Bald. *ibid.* adde Socin. *reg.* 431. Idem dicendum in secundo emptore: ut hæc Auth. locum tantum adversus primum emptorem habeat, Bart. in *d.* §. *cum quis.* idem censet quoties venditor non in ipsa traditione, sed post, malam fidem habuit. Nam si mala fides superveniens non nocet ipsi possessori malæ fidei, multo minus nocere debebit singulari successori. *Gloss. l. item si res.* 4. *ff. de alien. jud.* Aliud quoque existimant, si de fructibus adquirendis tractetur, cum hic de dominio adquirendo agatur. *Gloss. in l. vitia.* 11. J. *de adq. vel amitt. poss.* Aliud etiam existimant in actionum præscriptione. Aret. *hic.* ut & si agatur de malæ fidei possessore ficto, vel præsumpto tantum. Quid si successor præscriptionem velit ex sua persona inchoare? Quid si venditor non mala fide prorsus, sed dubitans vendat? quid si perfecta præscriptione superveniat mala fides? Idem esse censent, Bald. *in l. nihil.* 2. J. *pro her.* Cast. *in l. ancillæ.* 12. J. *de furt.* Innocentius *in c. si diligenti* 17. *x. de præscr.* Bart. *in l. naturaliter.* 5. *ff. de usurpat. c. cum dilectus. de majoritate.* adde Socin. *reg.* 33. 55 Voluntate sua ac sponte: secus si necessario. *l. Pomponius.* 13. §. *si jussu.* 9. *ff. de adq. vel amitt. possess.* 56 Aliud in præscriptione longissimi temporis, quia mala fides tempore longissimo non nocet. *l.* 3. *l.* 4. J. *de præscr.* 30. 57 Præscribere longo tempore non potest, qui titulum habet a malæ fidei possessore, *ut hic.* An mobilia usucapere potest? hæc enim Authentica de præscriptione immobilium est. Bart. *in d. l. Pomponius.* 13. 58 Ergo cum scit, neque ignorat, longissimum tempus non requiretur, sed longum tempus tantum. *l.* 1. *supr.*

qui